

Alte Drucke

**MATTHÆI || GALENI, S. T. || DOCTORIS, ET || APVD
DVACENSES || CANCELLARII, || COMMENTARIVS || In D.
PAVLI ad Hebræos || Epistolam. || Vnà cum eiusdem ...**

Galen, Matthaeus van

Lovanii, 1599

CAPVT SECVNDVM.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150590

angelico nomine cohonestarentur; quod ipsi per angelos illuminati, vicissim accepta lucis radios in subsectum refundunt populum. Quæ res probè cognita, multis in locis erit usus. Nam sæpenumerò dicitur Christus offerre sacrificium in altari, absolueret, baptizare, &c. non quod è cælo descendat; sed quod per quandam ordinationem, & semel Ecclesia concessam potestatem, in suis operetur ministris. Quod si hanc divinarum emanationum seriem retineamus: non movebimur aduersariorum inuidētia, qui diuis, aut angelis nihil deferri permittunt; quasi Deus per seipsum obiret vniuersa; nec in operationis, & gubernaculi partem, scilicet inuidus quemquam suorum admitteret. Cum igitur hæc ita sint; & angeli cuncti nostræ salutis innigilent: an non simus ingratisissimi, si nullam his impendendam venerationem nobis persuaderi sinamus?

CAPVT SECVNDVM.

SYRI TAMEN DIVERSAM

habent sectionem, & caput
primum longius pro-
ducunt.

ACTENVS Latina sectionis
primum caput: ex quo licet agnos-
cere, quanta dignitatis, ac maiesta-
tis, præ angelis omnibus, sit Christus;
deinde quantum lege, ac prophetis præ-
stet euangelium, quod ijs omnibus longè sublimiorem
promulgatorem habuerit; ac postremò quantum

G 2 hæc

Epistola

hec epistola faciat ad propriè intelligendum, & enar-
randum vetus testamentum, ob creberrimas psal-
morum citationes, ex quibus, tanquam Ariadnes fi-
lo, ad similitum locorum interpretationem germanam
deducamur. At verò quod ad sequens caput secun-
dum attinet; mirificus est in eo toto Apostolus, seq-
ipse vincere videtur. Nam in primis persequitur,
atque efficit, quod extrema precedentis capitis par-
te proposuit, hoc est, ostendit non solum Christum an-
gelis, sed & Christianos iisdem non abs re iudicari
excellentes; utpotè qui in unum cum suo seruato-
re corpus coaluerint, dum ille non angelos, sed Abra-
ha semen apprehendit. Insuper enumerat precipua
beneficia in ecclesiam Christianam à Deo collata, ut
hinc etiam Christi fidelibus dignitatis non parum
accedat. Hæc autem sic agit Paulus, ut obiter sui
non obliuiscatur instituti, nempe, angelos filio Dei
nequaquam comparandos. Initio autem vritur qua-
dam paranesi, ne Iudeos videatur scripturarum au-
thoritate minus urgere, ac premere, nonnihilq; respi-
rare permittit, eosq; recreat exhortatione, qua de-
functus, redit ad negotium.

Syr.

Vulg.

Propter hoc o- Propterea abundan-
portet ut nos am- tius oportet observare
pliùs aduigilemus nos ea, quæ audiui-
ineo, quod audiui- mus; ne fortè peref-
mus, ut ne excida- fluamus.
mus.

Propter hoc. quia habemus tam præstantem
legislatorem; æquum est, ut sollicitius excube-
mus,

mus; ne usquam desimus officio. Aduigilemus. Verbum syrum id est, quo toties in euangelijis Iudei recinunt adhibendam custodiam monumento dominico, nempe, custodibus adhibitis, cum sigillis, ut maximam intelligamus diligentiam, qua nihil omittat eorum, qua rem præsentem accuratè seruatam. Ut nè excidamus. παραπτώμεν pertinet ad aquas effracto, pertusæve vasculo effluentes, estq; contrarium verbi παροΰχην. Ita quidam: ipsi tamen Græci interpretes aliter. Chrysostomus enim putat petiitum è 3. cap. proverb. ubi habent septuaginta. ἡ μὴ παραπτώσῃς. Noli fili, committere ut leges mee, monita, & institutio excidant tibi. Itaque non censer ille petitam metaphoram à vasis pertusis; sed ab aquis hinc inde dilabentibus, quomodocumque id accidat, quæ semel effusæ colligi denuò non possunt, quasi dictum foret: Retinete doctrinam vobis traditam, quam semel amissam non valebitis iterum nancisci; non magis, quàm aquam effusam in vas reuocare. Noster autem Syrus Paulus utitur excidendi verbo, ducta translatione ab ijs, quæ pendent in sublimi, quæ semel inde collapse denuò eodem conscendere non valent. Cum nunc satis constet Christum diuina pradiitum esse maiestate, ac immensum omnes angelos superare: danda est opera, ut quicquid per euangelium nobis traditum est, diligenter excolamus, ac in recente semper habeamus memoria: nè si oscitates fuerimus, excidamus; nè Deum sic offendamus, ut nunquam liceat è gratiæ sublimitate præcipitatis ad pristinam resurgere felicitatem. Hinc discimus, quanto Dei beneficio perduremus in orthodoxia, quibus nondum deplorandus hæreseos casus accidit. Nec illud dissi-

mulandum nobis hic demonstrari, quàm sint homines animarum, & salutis prodigi, qui in Christianismo perinde versantur, quasi ludus foret, nec metu, aut solitudine esset opus: cum Paulus inbeant nos adhibere omnem diligentiam, nullisq; laboribus, ac vigilijs parcere; ut ne per nos stet, quo minus persterimus; alioqui serò nostram ruinam deploraturos. Quam autem infalices Christianorum plurimi, qui omnium, qua docuit Christus, tam sunt rudes; ut nè id quidem, cur ita vocentur, intelligant. Iam quàm sunt illi quoque reprehendendi, qui ea quidem non ignarè legunt, audiunt, intelligunt: tam agunt tamen oscitanter; ut quæ norunt, nescire videantur? Quid enim isti aliud sibi parant inani dogmatum nostrorum cognitione, quàm ut miserabilius pereant, & damnentur gravius. Postremò licet hinc causam intueri, cur tam multi nunc à fide excident. Tamen Apostolus non agit de illa ruina potissimum, qua quis in infidelitatem, heresim, aut apostasiam delabitur: sed de ea maxime, qua diffluit quispiam à spe salutis omnibus Christianis proposita. Deniq; quicumque sub nomine Christiano vitam ducunt antichristianam, omnes diffluunt, excidunt, pereunt: & priusquam lapsum instarent, graviter sedandum est. Quis ista nobis docentibus haberet fidem, si non suffragaretur Apostolus; nimirum, tantum studij, & cognitionis adhibendum; & probè cognita longè diligentius excolenda, inq; vitam, & mores traducenda; si certum alioqui perditionis, & excidij periculum evadere libent? Sed hæc Paulus ipse copiosius.

Chrysoft.
Ita Theodor.
ophyl.

Syr.

Vulg.

Si enim verbum, Si enim qui per
 quod dictū est per angelos dictus est ser-
 angelos, confirma- mo, factus est firmus;
 tum est, & omnis, & omnis prævarica-
 qui audiuit id, & tio, & inobedientia
 transgressus est il- accepit iustam merce-
 lud, recepit merce- dis retributionē: quo-
 dē in iustitia: quo- modo nos effugiemus;
 modo nos effugie- si tantam neglexeri-
 mus; si contēnamus mus salutem? quæ
 istas tātas vitas? Hæ cum initium accepis-
 cœperunt à Domi- set enarrari per do-
 no nostro adnūtia- minū, ab eis, qui au-
 ri, & ab iis, qui ab- dierunt, in nos con-
 eo audiuerūt, in no- firmata est, contestā-
 bis cōfirmatæ sunt, te Deo signis, & por-
 cū testaretur de- tentis, & varijs vir-
 iis Deus signis, & tutibus, & Spiritus-
 prodigiis, & poten- sancti distributioni-
 tiis variis, & diui- bus, secundum suam
 sionibus Spiritus sã voluntatem.
 Et, quæ datæ secundū voluntatē ipsius.

HIC terminatur caput primum Syra distin-
 ctione.

Verbum. λόγον. Quid sit, disceptant interpre-
 tes. Quibusdam enim non de lege placet accipien-
 dum, sed de quibusdam appendicibus: ut sit ea phra-
 sis,

G 4

sis,

sis, qua verbum pro re ponitur, & significet, quicquid per angelos inter homines in veteri testamento, gestum est, hoc sensu: Si quicquid angeli fecerunt, dixerunt, praeceperunt filij Dei nomine, sortitum est effectum, si verum, ac ratum fuit. Verum si reuocemus in memoriam, quomodo Paulus alibi de lege loquatur, & ea, quae superius ex Areopagita dicta sunt, legis potius amplectemur significationem. Ad Galatas enim cap. 3. legem per angelos traditam scribit, quos Deus ita solet illustrare, ut illi proximis inferioribus eisdem radios emittant eousque, donec prophetis, & iudicibus infimorum angelorum ministerio Dei leges innotescant. Sic Stephanus actorum 7. ait legem acceptam de manibus angelorum. Quocirca mihi rectissime sentire videntur vetustissimi, qui legem, ac prophetas, & denique totum vetus testamentum hic intelligunt. Si lex, & propheta, & cuncta illa oracula, quae tamen non ore Dei, sed angelorum ministerio, prolata sunt, rata fuere, nec impune violari potuerunt: quid statuemus de euangelio, & doctrina Christiana, quae habuit Christum authorem, qui de caelis eam pertulit ad nos, oreque sacro enuntiavit?

אשר
שר

Confirmatum est Syri habent eschtharratha, scharar, quod occurrit ferè, quoties scriptura veritatem illam denotant, quam orthodoxiam dicimus, ut in Matthaeo ad Pilati questionem copiosius est demonstratum. Unde facile quis coniecit agi de certissimo euentu, ac veritate, quae nihil falso, temere, vel obscure conditum, aut intentatum sit: Si lex quicquid, & angeli veteri populo adnuntiarunt, fide dignum fuit, bonaque, iuxta, ac mala euentum sortita sunt:

sunt: quid æquum est nos ominari, si non fecerimus officium.

Et omnis, qui audiuit id, est transgressus est illud. Id est, si in lege veteris, qui non obediebat præceptis à Mose, & prophetis, nunquam tulit impunè; sed.

Recepit mercedem in iustitia. Id est, iustissimas dedit penas, non solum iudicio Dei, sed suo etiam ipsius. Notandum autem Lucam interpretem istius loco lucem adferre voluisse. Nam Paulus unicam speciem peccati, nempe, transgressionem videtur habere: Lucas autem addit etiam contemptus crimen: quia bifariam peccari solet, vel non admittendo, vel admissam violando veritatem. Et Iudæi quidem prophetas olim veluti deliros aspernabantur, non sine scelere: nunc autem Christiani, ijs receptis, nihilo peccant lenius, prophetis regulis vitam aduersam gerendo. Quid ergo futurum est?

Quomodo nos effugiemus. Notat Chrysostomus ingeniosam Pauli percuſationem. Non enim ait, hæc illave patiemur: sed relinquit auditoribus, ut de hac re pronuntient; nè in initio, quo adhuc allicit eos, desertq, illis plurimum, vehementius eos conturbaret. Iudicate vos ipsi, quomodo non sumus extrema perniciæ dignissimi; si vel non credamus Deo, vel eius mandata violemus. Emphasis enim verbi effugiemus ostendit magnum infortunium imminere, quasi diceretur: Nequaquam nostris imminentem cervicibus Dei manum subterfugiemus. Utinam autem istarum rerum nobis veniret in mentem, cum delitiamur, voluptuamurq, tuti, videlicet. Quid si cum Paulus quispiam nostris

Epistola

intonaret auribus: En, tibi præ est exitium, iam te arripit damnatio? pigeret credo peccatorum.

Si contemnamus istas tantas vitas, istam præclaram salutem. Iudæi ferè terrenis spebus trahébantur. Sedebitis unusquisque sub ficu sua, bona terra comeditis; si autem minus frugis præstetis mæcipia, gladius deuorabit vos: in Christianismo autem, ut de gehenna, ita de vita æterna res geritur; quam numero plurali dyri non abs re proferunt, propter illud æternum, & infinitum bonum. Caterùm Lucas non immeritò videatur quiddam prætere designare: nimirum, haud quaquàm hoc vno nomine puniendum Christianum, quod vel non credat, vel quiduis intrepide patret flagiti; sed eum quoque extra teli iactum non fore, qui in religione Christiana putat sibi negligenter agendum. Quid ergo dictura est Christianorum pars multò maxima in torpore tanto? Esto, non pelluceas atrocibus vitijs; si edas, stertas; numquam publicos Christianorum conuentus ad eas; habearis denique vir bonus: ò Christiane, si cetera desint, non meministi securum admotam tue arboris radicibus, nisi edas fructus? habes patrem familias mirè auarum, apud quem otiosus Christianus, malus est. Quod igitur in nostra legitur versione.

Si tantam neglexerimus salutem, ostendit quantum oporteat aduigilare, ne qui iam Christo est imitatus, à fidei sue scopo corruat. Nunc superest, ut ex Apostoli verbis colligamus, quanto atrocius tormentum excipiet Christianum immorigerum, quam Mosaica quondam legis præuicatorum, quod quadruplici argumento liquebit. Nequiquam autem negli-

negligende salutis hanc addit ætiologiam.

Hæ cœperunt adnuntiari à Domino nostro. Vis nasse, Christiane, quàm tuum sit horrendum peccatum, si pntes tibi te indulgere posse, post receptam fidem? Age. Jam dixi legem ab angelis datam: euangelij autem authorem habes Dei filium. Quantum igitur præstat hic illis, tantò tibi maior pena debetur. Est autem hæc sententia illi similis, quam habuimus in epistola principio: Nouissimè locutus est per filium.

Et ab iis, qui ab ipso audierunt. Ipse quidem Dei filius exorsus est: sed quia non erat illi constitutum herere perpetuò in terris, habuit deinceps suos hypophetas, qui capta persiceret. Ut sit gemina euangelij commendatio, quod ipsemet Christus fuerit illud auspiciatus, & lectissimi eius Apostoli reliquum suppleuerint. Caterùm huius argumenti pòdus hunc in modum eleuant heretici. Quid refert, siue Deus, siue angeli dixerint: cùm certum sit legem esse verbum Dei, eandem, quæ in euangelijs, Dei voluntatem complectentem, nec minùs à Deo profectam, quàm ipsum euangelium? Equidem non negamus legis, haudquaquam sine impietate contemnendæ quasi late ab angelis, Deum authorem: sed tamen, quando dicit Ioannes in prima sua epistola: Quod audiuius, quod vidimus, & manus nostræ contrectauerunt: & in euangelio: Vnigenitus, qui est in sinu patris, ipse enarrabit: procul dubio voluit quiddam aliud indicatum, quæadmodum & illi propheta: Post hæc in terris visus est. Significant enim referre plurimum, quo modo, quòve instrumento Deum quis audiat, an per somnia,

1. Io. 2.

Io. 1.

Baruch. 3.

Galat. 3.

Iustinus in
Tryphone.
Eusebius in
demonstr.
Euangel.1. Cor. 9. &
15.
Galat. 1.
Ephes. 3.

somnia, columnas, fumos, angelos, & apparentias, an
vino ore filij Dei. Ut sirex interdum voce propria,
interdum per facialem aliquid denuntiet, erit qui-
dem eadem voluntas, modus tamen longè diuersus.
Itaque Christiane, cum audieris ipsum Dei ver-
bum, sanctissimumq; filium tecum agentem, cum il-
lum senseris, conspexeris, attrectaueris, non est reli-
cta prestigiæ vlla suspicio. Rursus autem vide-
tur percunctationi locus. An non lex per mediato-
rem? Rectè. Sed Christus ita loquebatur, ita legem
promulgabat tunc Dei filius, ut nusquam non eni-
gmatis ratio seruaretur. Maiores nostri (fateor) nō-
nulli contendunt ea omnia, quæ tūc gesta sunt, à
Christo facta, sed obscure tamen, & alia ratione, viso
mox euanescente, quodq; alienum esset ab incarna-
tionis constantia. At in euangelio nostrum hunc
induerat hominem, nostro more, verbisq; loquebatur.
Sit igitur lex à Deo: minimè tamen ita efficax, quæ
est euangelium. Verùm quod adiungitur de Apo-
stolis, videtur priora nonnihil eleuare. Non immeri-
tò id in Latina, & græca lectione quispiam suspica-
retur: in quibus deest, quod habent syri, Ab eo, nem-
pè, audierunt, absque illius ore sacratissimo pende-
runt. Ab iis, (inquam.) In nobis confirmata
sunt. Idem est verbum, quod superius. Sed quomo-
do conciliabuntur ista cum iis, quæ alibi ab eodem
Paulo dicta sunt: se nequaquam ab hominibus edo-
ctum, sed ab ipsomet Christo institutum? At iam
olim Theologi veteres, dum Arianis respondent, no-
stris quoque videntur hereticis respondisse: nempe,
Apostolum in ijs, quæ pro se illi adducunt locis, alia
in pugna versari, tu rig; sese à calumnijs pseudo apo-
stolo-

stolorum, qui legem euangelio commiscebant, seq̃, falsò Petri, Jacobi, atque Ioannis principum Apostolorum, exemplo facere predicabant; Paulum autem, veluti qui nuper ad fidem accessisset, neque Christum vidisset, cum ceteris Apostolis neutiquam comparandum, sed potius hereticum habendum. Horum igitur sycophantijs Paulus non semel obuiam ire compulsus est, suamq̃ sibi tueri dignitatem. Addunt & istud, Paulum iisdem in locis ita loqui; quia non perinde constabat omnibus numinis instinctu rem geri, cuius ipse quendam ageret interpretem: hic autem quia statim huius rei factam fidem signis, & prodigis adserit, minus ea de re fuit sollicitus, cunctis persuasum ratus, Apostolos diuinitus esse locutos, & se quoque ab ipso Deo legatum. Nam (ut ait Oecumenius) non dicit: Ego vobiscum audiuim; sed In nobis confirmata sunt; ut hanc personam primam per antidosin accipere debeamus. Paulus enim loquens Hebrais, non suis discipulis, se pro discipulo gerit: In nobis (inquit) hebrais, qui a lege migravimus ad euangelium. Quae forma sermonis magnam habet modestiam, dum in se deruat, quod est aliorum; seq̃, in ordinem redigit. Non desunt, qui eius huius ita premant, quasi innueret magnum spatium inter huius epistolae scriptiorem, & euangelismum Christi: Ante multos annos cœpit Christus adnuntiare euangelium suum, quod tamen ad nos usque pervenit. Sed qui noverit syris non esse al, sed hy 72 ban; nullius esse momenti speculationem istam deprehendet. Etsi enim certum sit, longè posteriorem fuisse hanc epistolam: quod tamen hinc colligere se putant, non est germanum, Hoc igitur spectavit potius,

tius, hebraeos unâ secum mordicus fidem retinere semel acceptam. Christus sui nobis euangelij copiam fecit, quod receptum retinemus, nec illud nobis eripimus: ut sit oratio cohortantis, ut porro perstent in fide. Hactenus primum argumentum.

Cum Deus testaretur de iis: nimirum vitis. Potuisset dicere quispiam apostolos nihil habere Moise, prophetisq; præstantius; ac proinde perexiguum esse robur in argumento Paulino. Immo, inquit, logè secus se res habet. Nam et si locuti sint apostoli (hos enim intelligit) non deerat testis, ac suffragator illorum doctrina Deus, fidemq; concilians istis vitis, id est, rebus adnuntiatis in euangelio; nec ipsæ res obscurum de se testimonium prodebant; nec deerant Apostoli. Quæ omnia accidentibus miraculis, & prodigijs confirmabantur. Et primum.

Io. 9.
Marc. vlt.

Signis. Habuerat lex signa sua: sed illa nihil ad ea, quæ habuit euangelium; unde illud: A seculo non est auditum, &c. Signa igitur ista significant ea miracula, quæ dicit Marcus secuta doctrinam apostolorum. Latet hic & illud argumentum. Moses equidem, & propheta nonnulli prodigijs insignes, non item alij fuere; at in christianismo ferè nullus non ea valebat potentia; tametsi alij alia virtute pollerent magis, plerique tamen omnes præditi erant vi eijciendi demones.

Et prodigijs. Videtur idem, quod prius, dici; si duntaxat aliquam epitasim, & significationis incrementum adhibeas: quia tamen tria vocabula posuit apostolus, ea arbitror indicari, quæ maximam omnium cicerent admirationem. Nam syra dictio the-
התפלה ab admiratione dicitur unde et miracula.

Et

Et potentiis variis. Iste quoque virtutes miracula sunt: sed hoc habent peculiare, ut ea tantum designent, quæ arguunt Dei potentiam incomprehensibilem. Ergo quatenus nos ex editis miraculis possumus ad surgere ad diuine virtutis contemplationem, eâtenus virtutes appellantur. Proinde viderint, qui has ad fidem, spem, & charitatem detrahunt.

Et diuisionibus Spiritus sancti, quæ datæ sunt secundum voluntatem ipsius. Ita Syri paraphrasticos græcam vocem referunt μέγιστος, quæ largitionem, & partitionem significat. De his charismatibus vberissime differit Paulus 1. Cor. 12. quibus vel singulis, vel pluribus interdum præstabat Christiani. Et Paulus non raro disputans hinc aduocat præsidia: Per quid, cedo, accepistis spiritum? Gal. per legemne, an per auditionem fidei? Ad eum modum cum Ierosolimita cernerent gentiles perfundi spiritu: Ergo etiam gentibus dedit Deus salutem? Usque adeo illa signorum, ac donorum varietas colitus olim concessa, palam valebat ad fidem constabiliendam. Spiritus autem istud tribuitur, quia munera largiri benignitatis est, ac munificentia: licet sit re vera à tribus æquè personis. Verum quoniam apud Iudeos propter ignauiam (ut volunt Græci) disparebant sensim hæc dona: consolatur eos nonnihil, quod audiunt pro Dei voluntate ea distribui, ut si cui data non sint, non ægrius ferat, certus ita visum Deo optimo, cui autem tale quid obigit, agat gratias. Quia quicquid in singulos statuitur, iustissimo Dei nutu libratum est.

Disputatur autem, quid referat pronomen ipsius vel suam. Et plerique de Spiritu sancto explanant,
iuxta

Act. 10.

1. Thim. II.
2. Thim. III.

Epistola

iuxta quod ad Corinthios doceri videtur: id tamen, quod modo attigi, retinendum est, distributionem quidem acceptam ferri Spiritui sancto; eadem tamen dona posse eodem iure, ac potissimum adscribi Christo, qui nobis ista promeritus est; neque tum pater erit excludendus. Tunc enim ista sequentibus cohercebunt: Non enim angelis, &c. ut Christum veluti quendam à seorsum opem nobis inducant, cuius omnia sint subiecta pedibus. Quia tamen nullum habeo huius sententia principem; non libet noua interpretationis aut horum videri: tamen si nonnihil iunget, quod hic Apostolus versetur in collatione Christi, & eius euangelij cum lege. Erant etiam aliqua legis veteris dona; etsi non ita confertim sepperterent; at in euangelio audire fuit omnium loquentem linguis Apostolum, eadem miracula, prophetia spiritum nequaquam destitutum, ne ceteros adferam; quemadmodum docent elegantissime Iustinus in Tryphone, & Tertullianus in primo libro aduers. Mar. Quocirca videri haud immerito posset ad Christum ista proculdubio pertinere: quasi diceretur: Christus à Mose, ceterisque prophetis ita diuersus est, ut ibi singulis singula ferè; hic autem omnibus cuncta, vel plurima. Hic autem vehementer sudant haeretici, ut nobis argumentum intercipient, quo dicitur Deus miraculis, ac prodigijs sua doctrina attestatus. Ferunt enim agerrime catholicorum insultationes, miracula, mortuorum suscitationes, & reliqua à nostris maioribus copiosissime quondam exhibita in demutata religionis, ac doctrina confirmationem poscentium; cum videamus id, quod in apostolis poterat esse suspectum, miraculorum authoritate

Haeretici
sudores.

tute

tate dilatum fuisse; idq; observatum in cunctis religionis veræ assertoribus, Mose, Elia, & alijs. Pergunt tamen impudentes papistarum, id est, nostram videre stultitiam (ita enim illi homines sapientes appellant) qui velint religionem signis confirmari. Quod an merito postulemus, ex istis quatuor signis, prodigijs, virtutibus, ac spiritus divisonibus liquet. Et ne non ubique sint sui similes; aiunt miracula nostra haud esse vera: nempe, quia nuper natum euangelium conuellunt. Quasi verò nos aliud adsertum optemus, quam nostram doctrinam orthodoxiam esse, cui constituende olim tam multa Deus prodiderit: cum isti novatores tantum interea nugentur, neque quicquam præstent. Ne quis tamen catholicus idem ab orthodoxo requiratur; Chrysostomus notat causas, cur iam rarissime virtus illa reperiat. Ac primo dicit Iudeos, ad quos scribit Apostolus, per suam inertiam charismatacano, situz, adobruisse, isdemq; propterea spoliatos. Nam cæpropter Timotheum hortabatur *ἀναζωοποιῶν*, veluti amotis cineribus, susceptam gratiam: ne vel amitteretur, vel elanquesceret; sicuti Martinus, & Nicolaus, viri sanctissimi, non semel quarebatur sibi contigisse, quoribus vel in communionem hæreticam coiussent, vel alio quouis pacto gratie fumos offudissent. Addit & istud, etiam tam plerisque negata dona gratiarum, quia Spiritus non erat collocatum iri sua munera in iactabundos, fastuos, turgidos, neque recte usus acceptis. Denique frequentia, & tempore dignitatem apud homines non potuissent retinere integram.

Surrectio primæ feriæ sextæ crucifixionis.
Non putari omittendas has epigraphas, contra to-

H

tius

Epistola

tius antiquitatis iuratisimos hostes, qui omnes huiusmodi sectiones explodant, & meretq; canendum, & saltandum esse, neque statis diebus, ac festis quicquam accommodandum clamitant. Surrectio igitur ista est quod nocturnum vocamus. Quondam enim in silentibus diebus, ac profectis pernigilia celebrabant, omniumq; diligentissime per totam magnam hebdomadam a vespera usque ad solis ortum. Sub horam igitur nonam conveniebant Episcopus, clerus, & alij, plebs alijs rebus, vel quieti vacabat. Ibi utriusque testamenti fragmenta legebantur in horam fere duodecimam, ac tunc plebem adesse oportebat, isq; secundus nocturnus vocabatur, in horam circiter tertiam. Et tunc cum ita visumerat e populo discedebat: universus autem hierarchicus ordo istidem artibus tertium nocturnum absoluebat. Nostra si ad ista conferantur, non carebunt antiquitatis lineamentis: sed priscus ille fervor, attentio, gravitas nusquam apparebit. Sed hac præter institutum. Hactenus autem permensi sumus evangelij, legisq; comparisonem, quam doctissime Theodoretus quatuor comprehendit argumentis. Primum ibi angeli, hic Dei filius nomotheta fuit. Adhuc legi quidnam gerendum, evangelio qua ratione adsequamur vitam beatam traditur. Præterea tamen si non defuerint illi quedam miracula, nihil tamen ad ea, quæ hic à Christo, eiusq; apostolis, ac sequacibus edita sunt. Postremo neutra in parte desiderata spiritus dona: sed hic uberius multo, ac in pluribus fuerunt. Nunc proxima se nobis offert pericope, quæ Paulus denovo Christum confert angelis, ac præfert, in qua discemus obiter totius psalmi octavi germani

nam interpretationem: porrigeturq; nobis ex Paulinis armamentarijs bipennis, qua nodos, & contro- uersias, qua nobis partim cum hereticis, partim cum veteribus enarratoribus de illius psalmi scopo, & phrasibus intercedunt, penitus exscindantur.

Syr.

Vulg.

Nō subiicit enim angelis seculum futurum, de quo loquimur: sed secundū quod testatur scriptura, & dicit: Quid homo, ut memor sis eius; & filius hominis, ut visites eum? Minuisti eum paullulū infra angelos. Gloriā, & honorē posuisti super caput eius, & cōstituiisti eū super opus manū tuarum. Et vniuersum subiecisti sub pedes eius. In hoc autē, quod vniuersum subiicit ei; non reliquit quicquā nō subiectum:

Nunc

Non enim angelis subiecit Deus orbem terrae futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis dicens: Quid est homo, quod memor es eius: aut filius hominis, quoniam visitas eum? Minuisti eum paullōminus ab angelis: gloria, & honore coronasti eū, & constituisti eum super opera manū tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. In eo enim, quod omnia ei subiecit: nihil dimisit non subiectum ei. Nunc au-

H 2

tem

Caput 2.
Syr. sectio;
nc.

(est)

Nunc autē necdum *tem necdum vide-*
 videmus vniuersum *mus omnia subiecta*
 subiectum ei. Eum *ei. Eum autem, qui*
 autem, qui minutus *modico, quā angeli*
 paullulum (est) in- *minoratus est, vide-*
 fra angelos, vide- *mus Iesum, propter*
 mus esse Iesum, pro *passionē mortis, glo-*
 pter tormentū mor- *ria, & honore coro-*
 tis eius; & gloriam, *natum.*
 & honorem positum super caput eius.

Particula Enim, quid sibi velit, ex supradictis patet. Sinamque pronomen Ipsius, quod in fine superius habuimus, sit intelligendum de seruatore nostro, qui dicebatur cōpisse adnuntiare euangelii: eodem spectabit ista causalis, in hunc sensum: Ego aio pro arbitratu Christi dispensari spiritus omnia charismata, utpote qui sit imperator, ac dominus omnium: cuius rei fidem, si quisquam dubitet, id facere potest, quod ipsi, & non angelis est vniuersum subiectum, ipseque sedet arbiter omnium, ac proinde merito dictum est cuncta geri pro illius voluntate. Si per antiquitatis praiudicium liceret ad hunc modum explanare, oratio plana, & aperta foret: sed alio trahunt veteres, & partim ad initium, partim ad finem capitis referre volunt, ut sit oratio reuerentius ad id, quod intermiserat, de terra totius hereditate. Nonnulli reuocant ad illud: Constitui te heredem vniuersorum: quod si non absurdum, certe mirum videtur, tot interiectis, repente ad id, quod tam dissitum est, resilire, maxime si spectemus eius rei,

rei, quam hic demum confirmari volunt, probationes, & argumenta non d. fuisse. Tamen quia veneranda est antiquorum canities; sequamur & nos. Non igitur subiicit angelis seculum, sed mundum, futurum. Quodnam est istud? Quidam non alium, sed hunc ipsum mundum intelligunt; quem admodum superius orbem terrarum interpretari. Chrysostomus, & alij sunt in hac sententia; tametsi Theophylactus, & Occumenius diversam quoque adhibeant. Theodoretus futuram vitam intellexit. Sed quomodo hic mundus dicitur futurus? Respondent Pauline phraseos exemplo ex cap. 15. ad Roma. ubi Christus futurus dicitur; non quasi nondum in humanis natus, & passus; sed quia tunc id adhuc erat futurum, cum Adamus erat in viuis. Simili modo hunc locum explicant; quia Christus Dei filius immensis aeorum miriadibus orbem terrarum antecesserit. Ingens est authoritas Chrysostomi: vix tamen deducor ab eorum commentario, qui de futuro seculo credunt enarrandum, quod post iudicii diem inchoabitur; quibus adstipulatur verbum subiicit, vel ut communis habet lectio, subiecit, & quod David dicit 8. psal. Omnia subiecisti, &c. ut de eo, quod iam factum est, verba fieri manifestum sit. Atqui mox dicit Apostolus istum, quem cernimus, mundum nequaquam illi subiectum; in quo tyranni una cum diabolo, eiusq; administris latè dominantur; ipsiq; adeo eius cultores prauis operibus illi aperta fronte repugnant. Quin cap. 15. prioris ad Corinth. idem palam declarat, tam numeris omnibus illam subiectionem perfectum iri, cum nihil supererit, quod recalcitret eius imperio.

Epistola

De quo loquimur. *Indefinitè. De quo partim locuti sumus, partim loquemur: tametsi porius ad sequentia deuegat oratio. De quo nunc nobis est deferendum.*

Sed secundum quòd testatur scriptura, & dicit. *Habemus longè diuersam in latinis, græcisq; sententiam: quod nonnulli, parùm aduertentes interpretè Hebrais detulisse in sacris scripturis versarissimis, credunt contemptim ab Apostolo dictum, Paulus autem ipse non dubium authorem, sed scripturam nominat, elegantissimo semperq; nouo citandi genere non hic primum vsus.*

Quid homo, vt memor sis eius, & filius hominis, vt visites eum? Heretici, antiquo more, contendunt hunc psalmum non ad Christum, nisi violenter contortum, sed ad Adamum, & vniuersum hominum genus pertinere. Et siquidem intuitu protoplastum in illa conditionis dignitate perseuerantem; tum aiunt propriè psalmum illi congruere: sin autè deiectum, & miserabili ruina collapsum; tunc, nè videantur iniquiores, Christo accommodari permittunt, & is, qui sunt ab eo restituti. Sed quare David, qui norat Adamum corruisse, ac totam eius eodem collapsam posteritatem, scribebat, quod in eum quadrare non valebat? Nihil respondent; nisi forsitan ita collibitum ostendere, quam nactus fuisset persistendo felicitatem. Idem tamè tantum abest ut velint homines infideles, & alienos à Christo, huius vniuersi dici possessores: ut certissimi furti dicant accusandos in die iudicij, quòd vestes, ac cibos, & cetera non sua bona, vsurparint. Inauditum hætenus deliramentum. Sed quid opus est is, qua

cum huius loci natura repugnant? Quin aperte dicimus psalmum ad Christum pertinere: præsertim cum ipse nobis, hac in parte iam olim præscripserit, dum apud Matthæum ostendit hoc de se dictum esse vaticinium? Adde quod præter hunc istius epistolæ locum, in prioribus ad Corinthios, & ad Ephesios versus integrè germanè sit interpretatus Apostolus. Quid autem, quod Lydius lapis scripturarum intelligentiæ palam faciat non posse hominibus competere, quod de angelis inficiatur: & dum tam constanter illud sibi adsumit, paululum minoratum Christum ab angelis, satis persuasum sibi declarat, id aliò, quam ad Christum, torqueri non oportere? Est igitur hæc sententia: Domine, quid est humana natura, ut illam tanto dignareris honore, naturæq; diuinæ coniungeres in eandem filij tui hypostasim? Et quoniam eorum, quæ habemus charissima, melius recordamur: iccirco hominis memorem dicit, quem tantopere dilexit, ostendens præstantissimam naturam nostram fuisse portionem, quæ à Dei verbo suscepta est. Nos igitur, quoties hoc vnam divinitatis maiestatem intuemur, merito obstupescimus, quærimus, quis sit ille homo, quem è puris Mariæ sanguinibus, ad tantum Deus sublimitatem euexit. Ea autem, de qua hic agitur, visitatio non est quavis, sed ut optimè Septuaginta. diuusq; Lucas hebræam, syramq; vocem expresserunt, illi similis, quam obcuncti episcopi, dum suos perlustrant greges. Quantus, aut quid denique est is homo, quem (o Deus) in tanto habes pretio, ut in eum assidue sacerrimos defigas oculos, illum eucharis eoque, ut Deum haberi, & dici velis? Docemur à propheta gratias agere Deo, qui

Matth. 21.

1. Cor. 13.

Ephes. 1.

H 4

tan-

tantum honorem natura nostra contulit.

Minuisti eum paululum. Hebræa vox David
 מטעמא meat ambigua est, ut vel temporis quantitatem, vel
 durationem significet; neque ferè est alia græca vo-
 cis βαρυτιν natura: & propterea Græcorum, & La-
 tinorum alij de temporis puncto, & momento volent
 intelligi, referentes ad mortis triduum, vel passionis
 tempus vniuersum; alij alterum significatum arri-
 piunt, ut perparum dicatur depressus. In hac senten-
 tiarum varietate, & hebræe, græcæq; dictionum am-
 biguitate, syrum vocabulum, quid sequi debeamus,
 קליל clarissime demonstrat. Nam Kalil ad quantita-
 tem refertur, ut Roman. 15. ubi se Paulus excusat,
 quod aliquanto liberius eis scripsisset; ubi autem a-
 ctorum 5. inveniuntur apostoli paululum secedere, est
 edono zouro. i. paruo tempore. Infra angelos. Nec
 istud caret questione. Nam hebræis est elohim, quod
 Hieronymus vertendum adserit Deo, vel Dijs. Non
 sunt ignota Fabri, & Erasmi non ignobiles super hoc
 negotio apologiæ; quorum ille Dei vocem mordicus
 retinens, causam alioqui proditurum Paulum con-
 tendit; si Christum angelis diceret inferiorem, quem
 longè ijs antecellere probandum susceperat. Sed ob-
 seruandum est Septuaginta habere angelos; nec ali-
 ter Lucam esse locutum: certè syrus Paulus habet
 מלכא malochæ; nec aliud habet Ionathas paraphrastes,
 כין מלכא quàm min malochio. Adde quòd hebraeum voca-
 bulum non solum ad Deum, sed ad angelos quoque,
 & homines nonnunquam pertinet; & quod max ipse
 Paulus seipsum de angelis interpretetur. Cum
 igitur grauissimis iniurijs, ac doloribus, quibus utiq;
 careant angeli, nobilissimum illum hominem condide-

ris obnoxium; & ad postremū in cruce mortem oppetere, iacere in sepulchro, ceteraq; perferre, que mortalibus habentur miserrima, iusseris, o Deus: non tantum secundum tempus, verum re ipsa quoque infra angelos illum depressisti. Quin ipse quoque vermem, & reiectamentum hominum se appellat: ut nēdum infra angelos, sed infra homines quoque videatur deiectus. Sed hoc qui parum videri potest? Cur non igitur ad temporis breue spatium restringis? Respondemus, Pauli testimonio nos edoceri, hoc do-
rmento eius perpeſſionis intelligendum, quod nenti-
quā diuturnum, fuit quasi pretium, & meritum
insecutura glorie perennis, que angelica incompara-
biliter præstantior esset futura: usque adeo ut idem
seruator suam crucem, gloriam suam nuncupet; quia
eo pacto immortalitatem, & nomen omni nomine
præstantius promeruit. Et quidem non exiguum,
quod ita lancinatus, contusus, confossus, ac mortuus
est: sed si consideremus nulla necessitate, nullo me-
tu, sed amore nostri talia libentissimē deuorasse, si
summam innocentiam, si collatum decus, & hono-
rem in medium proferamus; maxima pars suppli-
cij, et ignominie detrahitur. Igitur hac in parte quo-
dammodo excellunt angeli: sed in ijs, que sequuntur,
longē aliter se res habet.

/Gloriam, & honorem posuisti super caput
eius. Gloria in cognitione, & fide Christi sita est,
ut significet nominis celebritatem, & famam per to-
tum orbem diffusam, qua homines credunt illum ef-
se Deum, & ad dexteram patris consedisſe. Hono-
rem autem intelligimus de latría, et cultu post illam
gloriam exhibito ei ab omnibus credentibus. Impone-

Epistola

re autem capiti perinde est, atque coronare, ut indicetur copia. Sic alibi precipitur nobis, ut congeramus carbones super capita aduersariorum, quod fit, quando hominem ita adobraimus beneficijs, ut hostiles deponat animos. Tu, quantum per rei naturam fieri potuit, incredibili gloria, & honore naturam humanam cumulaſti, Deus.

ubi

Et constituiſti eum super opus manuum tuarum. Vtique cum imperio, & potestate. Feciſti eum rerum omnium dominum. ſcholæ enim cum potestate, conſtituere ſignificat.

1. Cor. 15.

Et vniuerſum ſubiecisti ſub pedes eius. Id quia aliàs perſtrictum fuit, nunc breuiter. Tu non tantum conſtituiſti eum iudicem, ut eſſet tibi per omnia equalis, eiꝰ, deferretur honor ab omnibus: ſed ad poſtremum nihil patieris eſſe illi aduerſum, quoniam omnia quacumque infeſta, reddes illi ad nutum parata, & obedientia, ut neque mors, cui tunc inſultare licebit, neque Satan, neque val. diſſimum eius inſtrumentum Antichriſtus, hiſcere poſſint, denique quicquid in nobis reſidet vitij, auferetur. Nihilominus etſi tunc maxime ſortietur effectum iſtud oraculum, quia peccata quandiu regnant, non omnia Chriſto perfecte ſubiecta ſunt: tamen interea, pro omnipotentia ſua, nouit ipſe abuti etiam impiorum miniſterio, & cogere nolentes, ut ſibi obſequantur.

Eum autem, qui minutus paullulum infra angelos, videmus eſſe Ieſum. Hæc eſt citati pſalmi accommodatio. Vos omnes mecum videtis eſſe poſitum extra omnem controuerſiam, hunc pſalmum loqui de Chriſto ſeruatore, quem infra angelos diciſi imminutum. Sed qua parte, aut ratione?

Propter

Propter tormentum mortis eius. Ideò minus, quia mortuus. Falluntur enim plerique, non rati mortem, sed patibilitatem indicari. Nec enim friuolè pl. onasmo tormentum mortis pro morte ponitur: sed etiam tunc Valentinianos, ceterosq. pharisaistas prouidebat spiritus, qui pro sua stulta sapientia putabant indecens Christum pati mortem. Ne quis igitur diceret Christum non sensisse mortem, sed cuncta in phantasmate gesta; vel suppositum esse Simonem Cyrenæum, aut a fini caput: vocauit tormentum mortis; & quidem eius, quod habet emphasim; quia non apparenter tantum, sed verè pertulit dolorem. Diximus autem alibi de vocis chascho significatione, qua à compressione, et collisione dicta, morte collisum, & compressum dominum indicat. Quid nunc dicent, qui psalmum nolūt ad Christum pertinere; nisi fateantur se Pauli interpretationi vim inferre, dicentis videmus, certo scimus.

κωδ

Et gloriam, & honorem positum super capite eius, filij hominis, quem à Deo coronatum adferere Dauidem nobis est persuasum. His autem, quæ dicta sunt, istud adieciſſe sit satis, loqui Apostolum de gloria immortalitatis Christi, & eius nominis celebritate. Quamdiu hic agebat Dei filius, licet nihil ei deforet, propter adiunctam diuinitatem: non erat tamen gloria, & honore cumulatiſſimus; erat nostra circumdatus mortalitate; ladi poterat, & iniurijs appeti; immortalitas illi in resurrectione collata est, cui nominis accessit gloria. Nam qui prius habebatur seductor, qui huc illuc discedere propter aduersarios visus est, nunc passim celebratur, & adoratur.

Syr.

Epistola

Syr.

Vulg.

Ipse enim Deus, *Ut gratia Dei pro*
 pro sua bonitate, *omnib⁹ gustaret mor*
 pro omni homine *tem. Decebat enim*
 gustauit mortē. *eum, propter quem*
 Decebat enim eum, cui *omnia, & per quem*
 vniuersum in manu, *omnia, qui multos fi-*
 & propter quē vni- *lios in gloriam ad-*
 uersum, & multos *duxerat, authorem*
 filios adduxerat in *salutis eorum, per*
 gloriā suam, vt ca- *passionem consum-*
 put salutis eorum, *mare. Qui enim*
 tormento consum- *sanctificat, & qui*
 mare. Is enim, qui *sanctificantur, ex v-*
 sanctificat, & ij, qui *no omnes.*
 sanctificantur, ex vno sunt omnes.

(vitarum)

Olim in Latinis, & græcis quibusdam exem-
 plaribus, vt etiam nunc apud Theodoretum,
 Theophylactum, & Oecumenium cernere est, *χρῆς*
τοδ θεο legebatur: quamuis duo posteriores corru-
 ptam à Nestorianis lectionem adserant. Habebant
 enim illi heretici inter alia delramenta hoc etiam
 impiamentum, Christum Dei filium non fuisse con-
 iunctum naturaliter, & personali vnitae filio Ma-
 ria: sed verbum Dei in homine perinde, atque in di-
 uersorio habitasse: & in firmamentum erroris ex isto
 loco Paulum testem producebant, ubi secundum eo-
 rum deprauationem diceretur diuinitas patienti,
 ac morienti Christo non adfuisse. Theodoretus au-

Theodore-
 tus aliquā-
 do fuit
 Nestoria-
 nis.

rem lectionem non damnat; sed catholicam adiungit enarrationem: tametsi simplicis bonitatis, & candidissimi pectoris vir, Nestorianis aliquando minus cognitis impensus fauerit; ut testantur, qui inter opera Cyrilli extant, libelli in Chalced. concil. damnati. Sine Deo, inquit, quia omnia, etiam angeli, Christi morte indigebant, excepta sola diuinitate, cui accedere nihil unquam potuit. Quod autem magis mirum, ita legit D. Ambrosius lib. 4. cap. 5. de fide; nè quis illam lectionem temerarius expungat, quam viderit Ambrosium non aspernari. Interea tamen cum lectionis germana, tum genuini sensus ratio satis probatur. Cum autem Cesareus codex Viennæ cusus habeat, ut vertimus, & catholicorum habet lectio (ipse enim Deus) exemplar m. s. electoris Palatini, haud dubiè à Syris Nestorianis deprauatum, græca illi corruptela, consentanea nomini Dei prapponit setar min, id est, absque, præter, quod Tremellius secutus ausus est vertere contra fidem orthodoxi coaictis: Ipse enim, excepto Deo, per beneficentiam suam: annotans pro, suam, etiam, eius, transferri posse, ac de patre intelligi. Satis Nestorianè.

Ipse enim Deus. Propter intimam humanæ nature cum diuina coniunctionem, per antidosim, quæ sunt vnius, alteri nature tribuuntur; quod Nestorius adsequi non potuit.

Gustauit mortem. Quibusdam id metaphora dictum videtur ducta ab ijs, qui venenum hauriunt; quò scriptura sæpè alludunt, quoties calicem vini meri, furorisq; Dei, ac faces inducunt hominibus propinatas. Vt enim illi mortiferum virus, ita

Chri-

כסרמן

Epistola

Psal. 3.

Christus mortem exhausit, cui in se potestatem permittebat. Graeci tamē interpretes aliam notationem esse volunt; nempe, ut non epotasse, sed summis duntaxat labris degustasse demonstretur mortem, qui neque sensit corruptionem, neque ultra triduum iacuit, dormienti quam mortuo similior, qui tam facile, celeriterq; surrexit. Verū nec istud undequaque solidum. Fateor ipsum obdormisse (ut loquitur idem de sua morte) sed tamen scriptura phrasē aliud habet, quae mortem degustare ait etiam illos, qui in cineres dissiliunt, ut Ioannis 8. Quocirca mortem gustasse, verē mortuum esse interpretor, quod apostoli nusquam non cogebantur propter doctores, & phantasiastas (ut Ignatius in suis indicat epistolis) inculcare.

Pro bonitate sua, χρίστὶ θεός. Ergo Christus est Deus. Hic autem latet ingens mysterium, & fortissimum calcar ad pietatem. Nulla incumbere filio Dei necessitas, nullum eius tale meritum, neque cogi poterat, ut moreretur: sed quicquid factum est, fuit pro eius summa clementia. Non despexit ille figmentum suum, & humanam testam, misere conquassatam, noluit penitus contere, sed nos voluit esse bonitatis suae participes: ut iam à Christianis abesse debeat superba cogitatio, quasi aut viribus, aut merito suo redempti, iustificati, ac saluati forent, cum id ob solam Dei bonitatem contigerit. Haec ergo est sententia: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret. Morere, fili, fortiter, et gloriose, ut viles homines tanto corripiantur comperta dilectionis incendio. Pretium est uniuersis comparatum, medicus est omnipotens: si adsint, qui accedant,

dant, utantur, seq^q, velint fieri participes.

Posteaquam ad istum modum Apostolus Christi perpeſſionis leniuit opprobrium, per immensam vim amoris, & incredibilem pietatem, qua nos pater est complexus: nunc pertexit filium, & partim scripturis, partim rationibus hoc ipsum facit euidentius.

Decebat enim eum, cui vniuersum in manu. Quod in alijs editionibus legimus, & dñ. & propter quem, præterquam quod obscurius est, videbatur coniunctum vel patris, vel eius, de quo agebatur, cum aliqua contumelia. Vbi enim quid propter aliquem fieri dicitur, mox alicuius additamenti egentem suspicamur. Verum ut nihil tale nobis hic veniret in mentem, aiunt, Chrysostomus, eiusq^q sequaces, additum fuisse: Per quem. At si oculos in syriacum contextum coniciamus, nulla talis erit amolienda suspitio. Intelligemus enim potestatem, ad cuius nutum cuncta moueantur, & fiant. Merito autem stud omnes interpretes patri adscribunt, cui ubique defertur potentia.

Et propter quem vniuersum. Parum refert inu^{er}sum hic ordinē obseruare, Per quem, & propter quem: illud utilius, vanam apparere cauillationem Arianorum, qui ex præpositione Per, quæ de filio subinde dicitur, Christum egenum instrumentum patris in rebus producendis adscribebant. Nam cum eadem hoc loco patri tribuatur omnipotentissimo: nugamentum esse profectō liquet, quod de filij somniarunt instrumento. Quid decebat? At ox dicet: sed prius audiamus tertiam partem periphrasos.

Et multos filios adduxit in gloriam suam.

ad

Epistola

Ad verbum. Ascendere fecit. De predestinatione quidam verbum istud accipiunt, nec male, quia vox latissime patet: sed simul contineri dicamus totam illam Dei beneficiorum catenam, in hunc sensum: Decebat Deum patrem, propter quem, & per quem omnia, & eum, qui non contentus predestinatione vnigeniti filij sui, voluit illi adiungere multos adoptiuos filios, & miseros, inque massa perditionis obrutos ablueri a sordibus, iustificare, & in gloriam adducere. Posuit enim Paulus vltimum beneficium reliquorum instar. Hac igitur periphrasi docemur Deum patrem adduxisse secum, ac subuexisse in gloriam, quot quot ad salutem pertingent. Filius quidem obiit laborem: sed tamen patris amor filium mouit, vt vellet facere; &, vt scriptura loquuntur, tradidit. Quid porro decebat?

*Caput salutis eorum, quos ipse pater decreuerat in gloriam adducere. Tormento consummare. Prodigij simile. Itane decebat patrem inbere amantiissimum filium luere penas pro perditis, & filius Diaboli? Profecto. Ne putes fuisse ratione carentis humilitatis, quod filius dicitur imminutus: sic decebat, eratq; iustissimum. Quo iure? Idne iustitiarequirebat, vt seuiret in filium pater optimus, quod seruos perfidos bearet? Cur ita? Propter suam bonitatem. Vt miseretur fugacium mancipiorum, qui etiam nunc post illud immortale beneficium fugitant, decebat. Consummare. De hac voce Latini, Graci, & Syri disceptant. *ἑλεῖν*. Quidam reddunt consecrare, pro usu veterum Theologorum, qui dum de baptismo, aut martyrio verba faciunt, aiunt *ἑλεῖν*, id est, perfectum esse, propter vim*

marty-

martyrij, qua hominem planè securum repræsentat Deo. Et propterea ferè sacramenta omnia magnus Arcopag. ἑλεῖν οὐκ εἰς νῦν cupat. Quasi mens ea Pauli fuerit: Decebat Deum patrem consecrare filium suum morte crucis. Ut intelligamus omnes Christi actiones, & non solam crucis coronidem, fuisse quædam sacra, & luculentum sacrificium, quo genus humanum dedicaretur. Atque sic omnino se res habet; nec aliter Christus apud Ioannem dicit, quòd sanctificaret seipsum, loquens (ut quibusdam placet) de tremendis mysterijs, vel potius (ut alijs videtur) de sua perpeffione: Ego sum me immolaturus tanquam piacularem hostiam in cruce. Et iste commentarius per ea, quæ sequuntur, redditur probabilior. Vox syriacæ iouhi est ambigua ad consumere, seu prodigere, et consummare, seu perficere. Itaq; licuisset cōtritionis significatum accipere in eam sententiam, qua dixit Isaias: Voluit dominus contere eum: sed propter D. Luca versionem, malimus alterum eligere. Hinc autem diluitur illud, quod Pauli videbatur institutore refragari. Tantum enim abest, ut quicquam honoris moriendo Christus deperdidit: ut per eam ipsam mortem seipsum perfecit, suumq; corpus, & membra omnia, quæ subiecit in gloriā. Nec rarò in scripturis crux gloriæ nomine occurrit intelligenda. Quia enim de torrente in via bibit: propterea exaltavit caput.

Caput salutis eorum. Latina voce authoris quidam offenduntur; quoniam authoritas in scholis theologorum patri, ut plurimum, tribuitur: sed nemo tam iniquus, qui alia ratione eandem filio deferri posse negauerit. Lucas habet elegantem dictionem

Io. 17.

וּמְרִית
Luc. 15.

Epistola

ἀρχηγόν, quæ principem, ac reliqui ducem agmini sonat: quia suos ille coheredes adduxit in gloriam. Hoc pacto sensim nos in illius arcani consilij sacrosanctæ Trinitatis cognitionē deducit. Superius enim dixerat ob solam benignitatem degustasse mortem: iam id quoque decuisse testatus est. Quomodo? Prædestinabat ipse pater filium, ut fieret humani generis conciliator, & pacificator, quod intoleranda commeritum erat supplicia, idq; ad eum viritum, ac sigillatim. In tanta mortalium turba nullus erat, qui pro alijs decoqueret, omnibus eodem are grauatis. Quid autem Dei misericordia? Arripit ipsum caput, & omnium peccata eius imponit humeris; iubet mactari agnum innocentissimum; & quod in eum coniectum, & ab eo expiatum fuit, voluit omnibus prodesse. Perge, fili, induc vincula, ut omnes liberi sint; ingrediere hoc mundi barathrum, ut inde meos electos eripias. Sed hoc est immane, Paule: & dum videri cupis erga nos immensam Dei charitatem, non animaduertis labefactari amorem patris in filium. Nullum, inquam, est periculum. Nam ipse quoque filius certatim cum patre nos efflētissime diligit. Ipse enim qui sanctificat, & ij, qui sanctificatur, ex vno sunt omnes. Ne putes istud violentum fuisse; neque minus arctè tibi patrem complectendum, qui sic animaduertit in filium. Nam is est dux eorum, quorum saluti consulitur, qui debebat corruptissimos homines sanctificare, immo, quod mirabile magis, qui è suo educuntur cano, sunt vnum cum eo, qui ipsos eruit. Nonnullis tamen ista magis arridet sententia: Sunt omnes à Deo patre, caput cum membris, creati; quatenus ille dux est homo. Et

istis fauet, quod precessit, Per ipsum, & propter ipsum existere omnia, quod non procul à creationis abludit significato. Verùm id aliunde tum oritur incommodi, quòd minus illustre futurum est argumentum Pauli; neque tam bellè probabit, quod probari non potest. Quis enim satis probauerit, esse humano iudicio consentaneum, quòd pater filium perdere voluerit, ut fugitiva seruaret mancipia. Hac igitur ita credo exponenda; ut sit is, qui sanctificat, Christus patri pro hominibus pretium numeraturus; qui una cum iis, qui sanctificantur, electis nimirum, iisq; beneficijs à Deo destinatis, vnius, eiusdemq; nature: ac propterea sic Deus pater decreuit in proprium filium, quem aliis planè similem sciebat. Nam quatenus homo, futurus erat summus sacerdos, & dux; in quem ideo pater caterorum nomine animaduertit. Nec te mirari velim. Si enim angelis ea provincia demandata fuisset, videretur nequaquam legitime genus humanum esse redemptum: quia ut homo peccarat, ita victimam, qua expiaretur peccatum, hominem esse oportuit, nè dicam innocentissimum isti rei fuisse maxime idoneum.

His ita declaratis, pergit Apostolus ostendere filium nihilo minus quam patre nos amasse, & vnum è nobis factum, ut ita probetur homo ab homine redemptus. Id autem facturus est tribus scripturarum capitibus, quæ ut summam vtilitatem, ita difficultatem habent maximam.

Syr.

Vulg.

Propter quod non	Propter quam cau-
erubescit vocare eos	sam non confunditur
fra-	fra-
I	2

Epistola

fratres suos, cū fratres eos vocare, di-
 dicit: Adnuntiabo cens: Nuntiabo no-
 nomen tuum fra- men tuum fratribus
 tribus meis; & in meis; in medio eccle-
 medio ecclesiæ lau sie laudabo te. Et ite-
 dabo te. Et rursum. rum: Ego ero fidens
 Ego ero fretus eo. in eum. Et iterum.
 Et rursum: Ecce Ecce ego, & pueri
 ego, & filij, quos (mei) quos dedit mi-
 dedisti mihi, Deus. hi, Deus.

Mei iugu-
 landum.

Propter quod. Quia nimirum ipse ex uno
 cum illis verus Adami filius, nihil humanum
 à se duxit alienum.

Non erubescit vocare, ad verbum est: Ut vo-
 cete eos fratres suos. Quis non obstupescat, tātum
 monar hūm vix ereptos a morte iustissima, tam fa-
 miliariter, blandeq, complecti; ut dulcissimum fra-
 tris nomen nec illis inuideat, nec abnuat ipse? Huc
 adde, prophetam non ista locutum de Christo etiam-
 num mortali, præ se ferentem etum persecutionum,
 aut in hoc denique calamitoso seculo diuersante; sed
 rediuiuo, iamq, glorioso, quod est summa Christia-
 norum dignitatis, & Christi modestie, superata iam
 morte, ut habet illius psalmi vaticinium. Hic igitur
 habemus vere pietatis seminarium.

Quando dicit. Id est, quādo Dauid facit Chri-
 stum loquentem. Sunt formulæ citandi familiares
 Apostolo. Non est autem hic nobis laborandum
 de huius propria psalmi tractatione, quibus sufficit
 Paulum id dicere. Postquam igitur particulatim
 ibi

ibi Christus enumerasset totam suæ mortis tragædiâ; deq; ea questus fuisset: tandem deuicta morte, ubi pro sua fiducia esset exauditus à patre, iamq; rediuiuus adornaret triumphum, ducturus in eo liberatos ab orco, tum dicit.

Adnuntiabo nomen tuum fratribus meis. Nè aberremus à germanitate, ponderandum est verbum, quo septuaginta, David, Syrusq; Paulus, & Lucas vsi sunt; cum certo certius sit, altissimo consilio spiritum Dei scribis suis verba subministrasse. Narrabo inquit latinus David. Septuaginta autem volentes hanc narrationem explanare, δι' ἡθροῦται αὐτὸν, narrabo, sed accuratè, singillatim; ut nulum caput beneficiorum Dei prætermittam. Luca verbum ἀπαγγέλλω indicat Christum ea narraturum, quæ acceperat in mandatis à patre; ut sepe loquitur: quia ipse primum mandatam à patre sibi veritatem nobis exposuit. Deinde psalmus præter dogmata fidei, quibus illustratur intellectus, Dei quoque beneficia prædicat, quorum assidua recordatione, tanquàm oleo, scintilla diuini luminis fouetur, & mens ad redamandum illum accenditur, quem tam liberalem, ac beneficum experitur, & credit. Syra vox propria est euangelij; ut Christus hîc se profiteatur adlaturum faustum nuntium de totius mundi liberatione, & æterna piis omnibus vita tribuenda, &c. Et quem ista (quæso) non exhilararent?

Nomen tuum. Dei patris: tametsi notitia rotius intelligatur Trinitatis. Cur non dicit munificentiam, bonitatem, veritatem, quod eleganter dici potuit? Sed hebraicè loquitur Paulus: & quicquid de Deo notum, & auditum, est hominibus necessa-

Epistola

rium, ut salui fiant, Dei nomen appellat: simulq;
latet hac notatio, nos ea cognoscere, ut ipse laudetur,
non tantum a nobis, verum et ab auditoribus nostris.
Nam ut Christus antesignanum hoc loco proficitur,
ad Dei nomen concelebrandum: ita quisque Chri-
stianus pro sua virili debet agere, ut Dei nomen san-
ctificetur, & laudetur.

Fratribus meis. Ut orationis filum indicat, ijs
quibuscum mihi est eadem natura, proprie tamen e-
lectis, ac predestinatis, qui non tantum ad tempus
heredes sunt, sed permanent aeternum possessores.
Dedit ille tamen operam, ut in omnem terram exi-
ret sonus eorum, hocq; nomine dignatus est omnes
etiā iniquatissimos. Nam antequam acci-
piant nominis Dei notitiam, vniuersi sunt demonis,
& ira filij, & nihilominus pro sua ille pietate tales
nuncupat fratres: quare anchora nobis instar esse
debet, quoties vel incumbit desperatio, vel ambigi-
mus de perstando in virtute. Quid tum? Forte cui-
piam insurrabis in angulo. Minime.

Et in medio ecclesiæ, seu multitudinis, lauda-
bo te. Pro mea bonitate, & cupiditate omnibus cō-
sulendi, aduocabo ex vniuerso orbe, quoscunque po-
tero, atque omnem in partem exclamabo, quanta
Deus fecit anima mea. Non eos imitabor, qui, quod
acceperunt, alius invident: sed candidè vel inuitis in-
geram Dei beneficia; ut omnes intelligant, quā sit
ille benignus, quā beata veritas, & eius honoranda
religio. Hoc tamen alio verbo expressit Paulus,
Laudabo te: tametsi qui veritatem, ac fidē expla-
nat, qui Dei beneficia predicat, re vera laudet Deū.
Voces hebraei hilel, & græca εὐψυχία ad laudes, hym-
nosq;

nosq̃, quibus Deum prosequimur, pertinent: unde maiores nostri Christianorum munus esse colligunt, divinis hymnis, laudibusq̃ vacare ad Christi servitoris exemplum, qui hymno est immortalis. Prophetie tamen scopus is est, quem prius dixi. Ego docturus sum gentes, quæ credere, quæ agere, quæ recolere oporteat: denique ego Christiano defungar officio, quod nomine laudis sexcenties in scripturis occurrit.

Et rursum: Ego ero fretus eo. Margines codicum lat. & græc. indicant ps. 17. & eò ferè concedunt interpretes; quod versu tertio quadam habeatur in eam sententiam. Nam quod nonnulli refragantur, ob verbum (sperabo) nihil est; cum sit interpretis, neque mutet sententiam. Inter hereticos quidam arbitrantur ex cap. 8. Isaie depromptum, ubi quæ Lucas græcis hic habet, ad verbum reperitur: neque hoc nihil est; cum videamus Lucam frequentius referre septuaginta; licet interdum quadam immutet, ut nunc videmus in ἀπαγγελῶ, pro διηγοῦμαι. Parum refert: mihi tamē arridet, quod nescio an cuiquam fuerit observatum. Quæ mox sequetur autoritas, ex Isaie cap. octavo prolata est.

Atqui ea, quæ proximè in manus nobis ventura sunt. Ecce ego, & filii, &c. apud septuaginta prorsus eadem, antecedunt hæc, quæ iam exponimus, ἐσθμὶ πεποιδῶς ἐν αὐτῷ; nec aliud significant, quæ leguntur hebreis, vekuerthi lo. Unde fit mihi verisimile, Paulum ex eodem loco citavisse: nisi cuiuspiam huic opinioni refragari videatur, quod Apostolus dicit: Et rursum; licet consuetudo, iam satis spectata, loquendi hoc excuset, quasi diceret: Hæc quoque idem probant: vel, Rursum probat Christus se

Septuag.
ἐγὼ ἐν αὐ-
τῷ πεποιδῶς
ἴς, & paulo
post καὶ πε-
ποιδῶς ἐσθ-
μὶ ἐν αὐ-
τῷ.

יהוה

Epistola

hominem, ac nostrum esse fratrem.

Ego ero fretus eo. Tantundem Latini dicunt, cum se in alicuius tutelam, ac fidem receptos dicunt: Ego te patrono nitar; ego me sub tuas alas (ut scripture loquuntur) coniciam. Sed quorsum hac? Certum est verba Isa. cap. 8. & 12. item psalmi 17. testibus quoque aduersariis, qui aliud huc ex Paulo Rom. 15. testimonium, quod res fiat manifestior, adferunt, ad Christum pertinere: itaque veluti confesum sumimus, ea omnia loca, vnde videri queat hac pericope petita, super Christo exponenda. Interpretes autem ita plerique tractant: Ne quis me putet unum esse e multis; audiat quid Isaias cap. 8. vel David ps. 17. (si inde petitum arbitretur) de me pronuntient; se videlicet meo patrocinio fretos, munitosq; fore. Premimur equidem magnorum virorum auctoritate: sed fas sit vera loqui; Paulinum illa sententia filium procul effugit. Nam ista dicuntur ab Apostolo, ut Christum esse probet hominem; neque id infelicitur. Nolim tamen hic te *προποιν* oiv imaginari; quasi ex persona id nostra dictum fuerit, fidelium (inquam) & Ecclesia: sed proprie, ac precipue de ipso capite, quamuis nec ipsa excludantur membra, intelligito. Ego (Christus nimirum) cum sim homo adhuc crucifigendus; eoque fretus (patre inquam) meum caput obiecturus mille periculis. Hoc autem cum in Dei verbum non cadat, qui patris se clientem dicere non potest: palam est his verbis hominem se profiteri, & quidem miserabilem, qui turpissimam mortem esset obiturus. Vel hinc igitur inuenitur Pauli artificium, qui relictis aliis clarioribus locis, hunc potissimum isti negotio delegit; quem

nemo

nemo sic ausus fuisset interpretari, nisi spiritus in apostolo nos docuisset.

Ecce ego, & filij, quos dedisti mihi, Deus. Reproba est lectio, qua habet pronomen Mei; cum idipsum in sequentibus intelligatur. Nec debet quæquam offendere, quod alij pueros, græci παῖδια pueros, nos filios legamus: vocem enim Ἰσαία ialedim patriarcha Iacob de suis usurpat filiis. Difersum tamen ab Isaia vocabulum adiungit Moses, nempe, chanan, quod ἡδεῖσεν septuag. verterunt. Ionathas autem illos benoie ialdaim vocat; quam vocem hic syrus Paulus retinuit. Septuaginta autem utrobique παῖδια servant; ut idem esse unum illarum significatum appareat. Est autem sermo Christi querentis rarissimos inueniri, qui morem gerant christiane fidei, etiam ex Iudæis. Quicquid vociferor, pater, quicquid polliceor, ac denuntio, abominantur. Pater autem respondet: Nihilominus, fili, doctrinam obsequia; & refer in litteras, quam tibi mandavi, veritatem; non deerunt, qui amplectentur. His mox filius ista subiungit: Ecce me unum ex iis, qui te ducem, ac magistrum sequentur: habes me paratum, pater, ad audiendum, cognoscendum, laudandum nomen tuum. Sic loquitur doctor, & caput omnium Christianorum.

ילד

חנן

Isai. נתן

nathan na

bet, 70. עדו-

אע.

בכיא ילחם

Et filij. Quasi parum fuisset Christianos in precedentibus fratres appellatos; quod tamen ingens ornamentum: nunc optabiliore nomine filios vocat, quo nihil habet natura propinquius. Quos tamen tu filios intelligis? Num quales aliquando fuerunt iræ? haud sanè: sed de meis propriis, ac genuinis filiis loquor.

Quos dedisti mihi, Deus. Ita scriptura loquitur,

I S

tur,

Epistola

Genes. 33.

tur, pro eo, quod mortales impiè sibi arrogant: nè dicam ingratos sapenúmero indignari, tot sibi nasci liberos, cum Iacob docens eos Deo ferri acceptos oportere, qui quando, & quot vult tribuit, maxima Dei misericordia testatur hoc esse beneficium, nisi quòd hìc allegoricè, ibi propriè scriptura loquatur. Nam Christus gignit spirituali regeneratione, & vindicatione à tyrannide, seruitute, & (vt sic dicam) filiatione diaboli, suo meritò filios Dei constituens. Sic enim se habet mysterium predestinationis, & liberationis, vt pater è turba, & colluie damnatorum elegerit, pro quibus filius satisfaceret: quapropter filio suo dicitur dedisse filios, quos ille bearet. Nam est hìc dialogismus patris, ac filij: vnde noster Paulus vsus est secunda persona. Et hàstenus de tertia scriptura, qua probatur Christum esse verum hominem, nec à reliquis quicquam habere in illa natura diuersum, præter innocentiam.

Hìc syra distinctione terminatur caput secundum. Rursus autem præfigitur index capituli ecclesiasticis vsibus seruaturi.

Natiuitatis domini. Hinc elici potest summa eorum, qua tota capite continentur, cum sint hæ distinctiones antiquissima, & eius ecclesia, in qua primum Christiani dici caperunt.

Syr.

Vulg.

Syra phra-
sis habet. In
carne, &
sanguine.

Nam quia filij
participauerunt car-
nem & sanguinem:
etiam ipse ad eun-
dem

Quia ergo pueri
cōmunicauerunt car-
ni, & sanguini: &
ipse similiter partici-
panis

dem modum participauit eadem, ut morte sua destrueret eum, qui potētia mortis præditus esset, id est, satanā, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam ob timore mortis tota vita sua subiecti essent seruituti.

Priusquam progrediamur, est obseruandum esse quandam hic epexegeticam epanaphoram, hoc est, Paulum, quod iam dixit obscurius, explanare, & nonnihil confirmare. Itaque sensus quidem non erit à superioribus diuersus; sed prius dictis lucem adferret pleniorē. His igitur lineis hucusque progressus est Apostolus. Post multam de Christi gloria disputationem, dixerat per quandam occupationem: Atqui dicitur idem Christus angelis quodammodo factus inferior. Passus est. Sed hoc non aliqua eius infirmitate, vel vitio (inquit) quin Dei potius misericordia factum est, & propter singularem eius erga homines charitatem. Ergone debuit pater tam rigide in filium animaduertere charissimum? Id decebat eius bonitatem; cum ut ipse filius glorificaretur magis. Verum quæ hac iustitia ratio poscebat, ut pro fontibus lueret supplicium, qui nihil erat commertus? Quia is erat vnus ex nobis homo; & ad hominum gloriam pertinebat, ut homo se sibi vindicaret: quod quia alij non poterant, nimirum peccatores; id illum innocentem præstare oportuit; qui ve
suos

Epistola

suos fratres amabat impensissimè, fecit libens. Superest nunc uniuersorum complexio. Cum ergo confet Christi fratres fuisse homines; nemo illi naturam eandem detraxerit: itaque ut illi miseri, & calamitosi; iisdem illum quoque obnoxium erummus dicendum est, prater peccatum. Paulus autem ingeniose filiorum nomen hic retinuit; quod & initio disputationis, tanquam gratissimum, adhibuerat.

Nam quia filij participauerunt carnem, & sanguinem. Filij habet *emphasim*, propter syrum *dolath*, quasi dicas: Electi filij. Est autem hic definitio, ac periphrasis hominis longè diuersa ab ea, quam tradunt Philosophi; ut homo se carnem, & sanguinem dici audiens, de se sentiat submissus; quamuis non desit *synecdoche*. Quia igitur ij, quos pro sua benignitate Christus filios vocat, fuerunt homines, & quidem miserales: quid erat consequens?

Etiā ipse ad eundem modum participauit eadem. Etiam ipse. Quamuis Dei filius, & Deus: tamen etiam ipse.

Ad eundem modum. Lucas habet *παρὰ φύσιν*, latinus interpres similiter; quæ sunt simul cōflanda; nè putes monstruose fuisse naturæ, quemadmodum veteres nugabantur heretici; sed prorsus ad eundem modum, ut carnem, sanguinem, animam, & quicquid est illis adiunctum, dempto solo peccato, participarit. Quis non admiretur, maximè si naturæ diuinæ præstantiam cogitet; Dei filium non dedignatum in carnis, sanguinisq; sordes descendere? Sed hæc sunt sobriè cogitanda. Ad quid vero?

Ut morte sua destrueret eum. Deus enim iugulare diabolum proprio gladio immortalitatis non pote-

poterat: idco fuit adsumenda caro, ut mortuus eum perderet, qui hominem occiderat. Voces *syrabattel*, & *graca xolapyhon* primum significant quicquam ita cohibere, & frangere, ut deinceps mouere se nequeat; quales scelerati luxatis, fractisq; artibus imponuntur rotis. Ne tu igitur, Christiane, prædite gratia Dei, trepides: iam contusus, planq; confractus est hostis; ut si nolis, ipse te ledere non possit. Verissime enim ab *Areopagita* dictum, sibi semper magis metuere Diabolum a bono viro, quam sit illi formidini. Interea tamen non est socordia locus: quia idem alibi ut leo circumit, si quos oscitantes queat opprimere.

Qui potentia mortis præditus esset. Penes quem esset peccatorum carnificina; qui homines fontes impelleret in mortem; cui Deus permisit, ut impios, & à Christo discedentes torqueat. Et hanc illa potentiam malis artibus conquisuerat, dum pertraxit homines ad peccatum.

Id est, Satanam. Minus rectè quidam aiunt *haterosin* esse numeri: cum sit veriùs *synecdoche*, nomineturq; caput pro toto corpore. De hoc nomine dictum est ad cap. 16. *Matthæi*.

Et liberaret eos. Hic in primis notandum est, hæc vocem liberationis ad rerum perplexarum, qualis est anima, corporisq; connexio, dissolutionem pertinere. Eadem dicitur liber dissidii solvere, quos Deus adglutinarat, & muti lingua vinculum esse dissolutum: ut appareat opus fuisse magna vi, & potentia ad hanc de manu Satana ereptionem.

Qui timore mortis tota vita sua subiecti essent seruituti. Plerisq; timor mortis, & seruitus,

Ad verbū
(totis vitis
suis.

tus,

Epistola

tus, eadem sunt: sed syra distinctione refragatur. Sunt enim duo diuersa; ut geminum liberatoris Christi beneficium agnoscamus. Nam homo peccando fit peccati mancipium, induitq; seruilem conditionem, quia reatus seruitus est, quam consequitur euestigio timor, qui seruilis dicitur. Christus igitur venit, ut nos manumitteret, sicq; à timore liberaret: quoniam alii qui liberatus non ita repente ponit timorem, qui magna Christi deiectione, ut infra videbimus, & beneficus fuit excutiendus. Hanc autem formidinem nequaquam huius mortis, que a quo pede pulsat pauperum, regumq; domos, intelligimus, quamuis includi non negemus: sed agi credimus potissimum de ter infelici anime morte, quod homines sibi male conscy perpetuo metu grauiter urgebantur, quo tandem post hanc vitam essent euasuri. Et tamen si non deessent interdum, qui nō vererentur vitam pro laude pacisci: tamen futurorum incussa formido generosas animas contraherebat, & tanto quisque sollicitior hinc emigrabat, quāto cordatior, & melior. Qui autem diuinitatis veram hauserant opinionem, uti Iudai, ignari iustis premia, scelestis ignem esse repositum, acrius angebantur, propter humani cordis impermeabilem caliginem. Hec tamen sic accipienda sunt, ut non putemus patriarchas, prophetas, aliosq; sanctos huc esse cogendos, qui per fidem in Christum timoris huius grauissimam tyrannidem effugerant: sed de iis dñt axat loquimur, qui peccatorum sibi conscy, acerbam seruebant seruitutem, neque tamen harum rerum qualemconque cognitionem sceleribus penitus extinxerant. Hoc de timore. Vox autem hac subiectionis tyrannica est: qua homines vi oppri-
muntur

muntur, & exhauriuntur. Simul enim atque incipiebat ratio Dei legem, et peccatum intelligere; hinc metus, & impotens mortis horror; & quod erat omnium deterrimum, iugum semel susceptum Diaboli, nequiebant excutere. Itaque miserandum in modum victi, laqueis trahebantur à peccato in peccatum; & si ullam effugissent, in deteriora prolaberentur; usque adeo, ut gratia Dei (externam intellige) nihil aliud, quam maioris criminis fieret materia; ut in Pharaone videmus. Postremo habebat ista seruitus certam sibi coniunctam condemnationem. At verò quanta hic facta fuerit rerum mutatio, licet non ex nostris (cum penè vigor omnis clanguerit) sed ex maiorum nostrorum rebus agnoscere. Illi enim, qua fide, & spiritu erant præditi, summum in hoc seculo bonum mori ducebant; & si dici liceat, sibi tantum non adseriebant manus, mortem captantes undique, & carnicum rictus, ungues, flammæ, gladios in seipsos irritantes. Audis me (inquebat ardenti pectore Cyprianus ad Demetrianum) Christianum profitentem: excanta mihi hanc mentem, si potes; elimina de corde meo Christi mei charitatem. Hac tibi caro exposita, sævi in corpus, &c. Nec segnius pueri, ac puella sese tyrannorum obiciebant crudelitati: delicata autem virgines, ac matrona genus omne cruciamentorum pleraque ridentes obiebant, nullam sentientes molestiam, nisi quod à suo Christo vel tantillum, dum hanc vitam abrumpèrent, secluse viderentur. Neque nunc tamen desunt lectissima nomina, qui fidei, & virtutis ergò quidvis adirent; non ventosa iactantia, quod in hæreticis nonnunquam cernimus; sed quia tam bonum, ac po-

Epistola

tentem se dominum habere cognoscunt.

Syr.

Vulg.

	Non enim ex an-	Nusquam enim
	gelis apprehendit:	angelos apprehendit:
	sed ex semine Abra-	sed seme Abrahæ ap-
	hâ apprehēdit. Pro-	prehēdit. Vnde debu-
(Intotum)	pter quodiustū fuit,	it per omnia fratrib⁹
	vt (per omnia) adsi-	similari: vt miseri-
	milaretur fratribus	cors fieret, & fidelis
	suis: quōfieret mise-	pontifex ad Deū, vt
	ricors (& princeps)	repropiaret delicta
(caput)	sacerdotū fidelis in	populi. In eo enim, in
(eo quod)	(iis quē) Dei; & pro	quo passus est ipse, &
	pitaret (peccata)	tentatus; potens est
(pro pec-	populi. In eo enim,	& eis, qui tentan-
catis)	quod ipse passus, &	tur, auxiliari.
(inuenit)	tentatus est (potest)	auxiliari iis, qui
	tentantur.	

Apprehēdit. ἐπιλαμβάνει, authore Chryso-
stomo, habet metaphoram à venatoribus, qui
fugientem feram persequuntur. Nostra enim natu-
ra culpa sibi conscia, Deum fugitabat, si quid sala-
bre, si quid boni propositum, aduersabatur, ludicra, &
perniciosa consectans: ne dicam etiam nunc fide pre-
ditos, & à Christo seruatos nonnihil tale facere, ne-
glectis melioribus, deteriora captantes. Deus igitur,
pro sua misericordia, vt venator insignis, perse-
quebatur fugientes, & vix tandem comprehendit:
Quod, si quid aliud, valet ad inflammandos affe-
ctus.

Etus. Ita ille charos habuit mortales, ut sibi volupe deceret esse cum filiis hominum, quos è fuga retraheret, ut seruaret, induit: unde & caro dicitur factus, non angelus. Nam licet iuxta veterum sententiam dicamus (ut cunque serēs habeat) Dei verbum non semel in angeli forma demonstratum: fuit tamen id momentaneum, & mox adsumpta persona deponeretur.

Semen Abrahami. Maluit Apostolus id angelis, quàm aliud quiduis opponere, ut Christum ex promisso semine natum doceret. Notant autem interpretes, hac synecdoche Paulum Hebræis edblandiri voluisse: interim tamen nihil aliud significat, quàm naturam nostram verè ex Abrahami posteritate desumptam.

Propter quod. Quid illud? Ut haberet (inquiunt quidam) unde sacrificium faceret. Si enim angelos apprehendisset; nec mori, nec de se victimam præbere potuisset, ac proinde nè pontifex quidens fuisset, qui nihil obtulisset Deo. Adhuc (quod alibi monuimus) non perinde homini gloriosum fuisset: nisi sua salutis ipse dedisset instrumentum. Propter hoc igitur, quia ita homines amabat, quia volebat eos insigniter, & cum eorum maxima gloria redimere: voluit, potuit, ac proinde iustum quoque fuit, ac debuit esse similis hominibus, præter peccatum.

Ut fieret misericors. Si vocem syram urgeas, sonat potius amantem. Est enim à roham, quod vehementissimè amare, ac incendi visceribus amoris significat, ut non minùs significanter pium diceremus.

Et princeps. siue caput, nempe sacerdotum. Sunt qui Ecclesiam hodiè, spoliare moliantur sacer-

K

cerdo=

Epistola

cerdorio: si tamen, quid hic à Paulo dicatur, attendas, dum audies principem sacerdotum, facile suspicaberis non deesse, quorum ille vocetur caput.

Et fidelis. Quidam istud de eruditione, & veracitate interpretantur, contendentes non esse gentini sacerdotis veram Dei mentem ignorare, nec vnum quoddam oraculum prabere subiectis. Nec inficias iero pontificem indoctum similem esse filiis Heli, qui in scripturis dicuntur filij Belial, nescientes Deum, & illius cultus rationem: sed aliud vult Syrus, nempe, pontificem omnibus numeris instructum, cui tu id se plebs credat, à quo pendeat, & in quo habeat multum praesidij, quig, facile fidem faciat se à Deo impetraturum, quicquid sit necessarium, & commoda. Ne enim diceremus: Habet, quod agat pro se, nimirum ipse peccator: iam est praestitutus Dei filius: Ne autem crudelem, morosam, & intractabilem metumamus, qui nos non curet, electus est nostri similis, & piensissimus. Hoc igitur vult Paulus. Habes pontificem, qui tui sit similis: qui tamen tam est perfectus, ut in eo nihil desideres. Et hic latet argumentum: Disputamus de Dei misericordia, cur illa per homines potius, quam per angelos voluerit hominibus peccata remitti. Confitemini (aiunt scriptura) invicem peccata vestra, tu peccator peccatori, datur tibi index tibi plane similis, quod ad nostram dicimus factum consolationem, ne angelica puritas nobis esset horrori: idem hic agit Paulus, dum partim nostri generis felicitatem, partim Servatoris in illud pietatem declarat, quam triplici filo mensus est. Primum enim ob id incarnatum ostendit, ut capitalem hostem, ac tyrannum mutilum, & ad nobis nocere

Iacob, 5.

nocere

nocendum inuolidum redderet, deinde, quod ex eodem sinit, ut nos securos efficeret, quibus cum fracto, & conculcato aduersario sit futurum certamen; postremo ut Satane versuta illecebratione datos in fugā retraheret. Et hinc licet estimare, quā oportune verba hæc usurpata sint in Christi natalitiis, quibus è fuga reductos seruos non coniecit in pistrinum, non mactauit, sed beauit. Verum, inquiet aliquis: Esto, iaceat hostis; simus ad dominum retracti: sed forsitan offenser recordabitur. Accedat itaq; & istud; ut Deus pater ab hoc nostro comprehensore, tanquam pientissimo pontifice, placetur. Itaque factus est primum misericors, siue (ut syrum vocabulum sonat) amantissimus: & nē crederes amantem non posse peccata diluere, fuit idem quoque fidelis, ac perfectus sacerdotum princeps. Quenam autem sit hæc fidelitas, si roges: quod nobis per omnia similis, quod homo sit effectus. Verum nunc telam istam Dei pietatis, & beneficiorum tandem pertexamus.

Ut propitiaret peccata populi. Noster habet Repropitiaret; quod placet maximè, si latine id aures ferrent: quia indicat nos non solum anteā offendisse, itaq; receptos in gratiam, sed simul nos toties receptum iri, quoties continget labi. Certa cum Deo impietate; ille te sua pietate vincet: tametsi penè sit impium dictu. Sed longius ingrediamur. Quid sibi vult istud Propitiaret? Nam Gentes, ac Iudei putabant peccata propitiari per ea, quæ erant cuiusque religioni propria. Redduntur et homines propitij; sed ea non est huius loci propitiatio. Nam vox Pauli est eadem, mutata duntaxat orationis parte, qua sæpè utitur Pilatus, dum vult indicare Chri-

Matth. 27.

Epistola

stum in fontem, & inculpatum, in quo nihil sit nota, vel criminis: quamuis in terra falsis obrueretur delationibus. Itaque hanc propitiationem liquet non esse superficialitenuſ intelligendum; qua, videlicet, Deus tegat peccata, & relinquat: ſed talem, qua omnia prorsus diluat. Quod obſervatum, partim explicat magis Chriſti beneficium, partim retundit inſanientes hereticos. Et eodem facit vox graca, quam Heſychius interpretatur per *καθέσθαι*.

Peccata. Numerus habet epitaſum: vt nē agi de uno, aut tribus peccatis, ſed de totius mundi ſcleribus intelligas, & non tantū fidelium, tametſi propriē; vt ſi quis in ſe uniuersa coaceruata habeat, non debeat nimium trepidare. Populi autem vocem aiunt interpretes datam auribus Hebraorum, quiſe populum Dei, ceteros gentium nomine vocabat; quibus non refragabor: id tamen non voluit Paulus; ſed per ſynecdochē ostendit hanc propitiationem efficacem, hoc eſt, Chriſti meritum eſſe ſufficientiſſimum, vt pro omnium mortalium peccatis propitiaret Deum, & tamen rem illam non habituram effectū, niſi in paucis, non quidem illis Hebrais ſecundum carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Quocirca non intelligit Paulus populum Hebraorum, niſi quatenus pars illius ad Chriſti fidem conuerſa eſt. Populi igitur, ſi de efficacitate agatur, verē fidelium: ſi de merito, totius mundi. Neque tamē penitētis abnūo, quin dederit ille hebrais auribus nonnihil: vt qui episto-larum initiiſ gratiam inire ſoleat, maxime qui ſit mox Iudaorum principes, ipſumq; Moſen infra Chriſtum depreſſurus.

Explicato tertio beneficio, quod in expiatione, & repro-

repropitiatione consistit, superest scrupulus. Quid enim, si nunc dilutis omnibus per Christum, & patre factopropitio, relabamur? num est prætorum omnium penas cum cumulo repetitaras? Hunc Paulus nodum iam secabit.

In eo enim, quod ipse passus. Cum carnem, & sanguinem induisset, pati voluit, & quidem gravissime. Nam vox passionis, qua utitur Apostolus (ut sæpè monuimus) grave quiddam, & atrox significat, ut summos in se dolores admittens, ira patris luculenter satisfaceret. Atque hic non intempestivum foret observare, cur in nostro symbolo, veluti per battologiam, dicatur: Passus est, crucifixus, mortuus, & sepultus est: cum sit nil minus, quam quod videtur. Nam passus dicitur, ut intelligamus sensum doloris Christi, maxime in ipsa crucifixione.

Et tentatus est. Ambiguum est in interpretibus, an de experientia, an de propriè dicta tentatione sit accipiendum. Equidem pro humana natura veritate, esuriit, sitiit, aususq; est Satanas, pro sua stupiditate, ad illum accedere, in passione quoque lancinatus, ac tortus est. Et quamvis immobilem mentem nihil ista moverint: talia nihilominus fuerunt, quibus nos fragiles ad peccatum trahimur, quod in servatorem cadere non potnit. Ad hunc ergo modum tentatus.

Potest auxiliari iis, qui tentantur. siue tentatis, non tamen eodem modo: nam tunc non egeremus auxilio. Sed quia ipse sensit, quid sit esurire, sitiire, fatigari, maledictis appeti, lancinari, flagellari, &c. & videt iisdem rationibus Diabolum nos oppugnare: præter divinam scientiam, hac iam expertus

Epistola

videtur magis effectus misericors, & (tamen si dici non potest) aucta eius scientia, et misericordia. Nam anima Christi, ut erat perspicacissima, non potuit ea omnia sentiscere, quin habitum, & iudicium aliquod concisceret: unde factum est, ut meritò animum despondere nunquàm debeamus. Istud autè auxilium liberationem designat ab huiusmodi tentationibus, quantum expedit cuiusque saluti. Atque utinam hac essent imis hominum impressa precordiis. Putas tuum, ò homo, pontificem fidelem, tuig, amanti-
 mum, permissurum ut fame pereas, ut siti eneceres? Quin tu te illi permittis, ut de te, quod voluerit, statuatur? Hac enim omnia idem ipse est expertus: ut pares oneri vires, & auxilium meritò tibi suppeditaturum confidas. Ex iis videmus non solum summum esse Christi beneficium, quòd homo factus est, ut homines liberaret: verum & hoc, quòd receptus ad patrem, reliquerit hìc vicarios homines, & quidem peccatores, qui aliis essent non sola natura, sed & peccato similes. Ac propterea preclare factum, ut Syri caput istud proponant in Christi natalitiis, ut edocti, quid sint à Deo mortales consecuti, gratas exci-
 tent mentes.